

Immediate discessit a dicto loco et se contulit ad visitandam ecclesiam Sancti Salvatoris seu Sancti Ioannis Baptistae loci Musolei Iussani, quo perventus fuit reverenter receptus [129r] a reverendo Ioanne Baptista Costa moderno plebano et a populo. Omnia de more persolvit et visitavit sanctissimum Sacramentum, quod sufficienter manutenetur in parva pixide, et eodem populum benedixit.

Baptisterium et sacra olea munda sunt. Tria sunt altaria: maius, sancti Salvatoris; 2. sanctissimi Rosarii; et 3. Animarum Purgantium; quae cum ecclesia manutenentur a populo. Ecclesia vero admodum misera est.

Legata pia a plebano satisfacienda sunt: missae 31 pro Ludovico quondam Barnabae, relict(um) cum assignatione librarum centumquingenta quinque anno 1733 29 septembris; missae 25 pro Antonio Evarino quondam Barnabae, relict(um) cum assignatione librarum 200 die 23 augusti 1711; missae 20 pro Caesare quondam Pauli, qui reliquit libras centum die 9 februarii 1729; missae 15 pro Paulo Ioanne quondam Amadei, qui reliquit libras 100; missae 27 pro Antonio quondam Ludovici, qui reliquit libras 200 die 30 augusti 1733, capitale 755, fructus 75; missae 118; item missae celebrantur ad rationem solidorum viginti pro anima Comitissae [129v] quondam Nicolai pro pretio terrae ab eadem relictae. Item eodem modo celebrare debet plebanus missam pro pretio terrae Il Celbegno.

Annui redditus plebani sunt librae 759. Modernus plebanus solvit pro annua pensione reverendo Benedicto Casanova, qui eidem resignavit dictum beneficium, quatordecim ducata auri de camera.

Familiae 30. Sacerdotes 4. Animae 144. Altare privilegiatum altare maius.

Successive illustrissimus dominus visitavit oratorium seu casazzam dicat(um) Decollationi Sancti Ioannis Baptistae, et sufficienter necessariis instructum vidit; et deinde hora fere 19 ad suam residentiam rediit.